

## Sebastian Meyer<sup>1)</sup> an Vadian.

*Bern. 1523. März 18.*

Zurückweisung des ihm von Vadian gespendeten Lobes. Eifer für den Fortgang des Evangeliums. Erfreuliche Lage in Bern.

Gratiam servatoris nostri Iesu. Plus mihi tribuis, doctissime Vadiane, quam vel humillimus ego in re evangelica præstiterim vel unquam præstare queam. Facis tu id profecto, quod pro tua humanitate soleas: ingentia de aliis, etiam quantumque modicis, modo pii sint, æstimare, qualia tu tuique similes gigantes præstare consuestis; aut sunt fortasse amici, quibus hæc, quæ per me Christus dignatur, usque adeo placeant, ut ea laudibus in cælum<sup>a)</sup> evehant<sup>b)</sup>. Utrum horum fuerit in causa, ego boni consulo, modo Christus glorificetur, cui uni omnia debemus omnes. Unum scio: velim rem Christianam pure tractari ab iis præcipue, qui sese vicarios Christi atque pastores iactitant. Ad id quicquid in me est gratiæ atque virium colloco, futurum sperans, ut si aliquando ii vel coacti resipuerint, facile plebem ad meliora secuturam<sup>c)</sup>. Quod si perstare omnino perrexerint, saltem in multis reddam cautiorem plebeculam, reiectis fraudibus atque dolis. Fore deinde spero, ut vel iuventus ipsa sacris initianda, melioribus studiis instituta, Christi negotia purius sit tractatura tandem, alioqui patrum istorum secutura<sup>c)</sup> vestigia. Gratia Christo quoniam apud Bernates bona pars cleri, senatus, civium hodie ab evangelio est. Confirmet hoc deus, quod operatus est in nobis; neque enim desunt nobis pessime volucres, quas flagello verbi veluti Abraam abigamus.

Ceterum charitati tuę ingentissimas habeo gratias, quod me antevertere voluisti, ut, qui per me in evangelii partes vocandus eras, ipse me confortes et veluti lento calcar admoveas; deinde quod et me et fratres omnes per Abstemii epistolam ingenti affecisti lætitia. Tu vero perge, quo cœpisti optime, velut alter Lucas animarum in primis atque corporum medice. Reliqua, quæ circa nos, ex fratris Christiani literis fortasse perdisces. Pauca has atque ineptas tua boni consulat eruditio<sup>e)</sup>; nam Scoticę quidditates, in quibus fere consenui, non sinunt, ut eleganter scribam. Salutant te fratres, maxime Berchtoldus Haller, qui contioni præest in ecclesia Sancti Vincentii. Salutabis etiam ex nobis fratres omnes, præcipue dominum Benedictum, ecclesię vestrę pastorem. Vale et tu frater in Christo charissime, cuius gratia te confortet et quam diutissime servet. Datum Bernę, 18. die mensis Martii, anno a natali christiano 1523.

Ea quę in conventu principum Norinbergę acta sunt, domino Erasmo missa et mihi ab amico communicata, nolui te latere.

Tuus frater *Sebastianus Meiger*,  
Minorita.

Eximię eruditionis maximeque<sup>f)</sup> pietatis viro Ioachimo Vadiano, artium ac medicinę doctori, apud divum Gallum, domino ac fratri suo in Christo charissimo.

a) „celum“ mit geschwänztem „e“. — b) „emehant“. — c) „sequenturam“. — d) „leticia“. — e) „eruditio“ mit geschwänztem „e“. — f) „præcipue“, „e“ geschwänzt. — g) „maximeque“.

f) Von *Sebastian Meyer*, gebürtig von Neuenburg im heutigen Grossherzogtum Baden, eifrigem Beförderer der Reformation in Bern, sind 6 Briefe aus den Jahren 1523 bis 1540 erhalten.